et humanum genus frequens praeda Satanae fieret.
Hic vero foedissima illiusque reformans, et quam incontinentiam reliquerat, egregie tegens; quae vero auribus quoque intoleranda erant flagitia vel coërcens, vel cum aliis tolerabilioribus commiscens, et in summam pelle ovina lupum occultans, a multis pro pietatis doctore et salutis habitus est; multos de improviso ab-reptos in barathrum exitii aeterni praecipitavit.

Ejus rei rationes κατὰ θέσιν.

Etenim quod nec priores neglexerant, id ipse longe dexterius exercuit: ut ab initio non statim his qui ad ipsius disciplinam accedebant, intima impietatis dogmata committeret, et sacratiora mysteria proponeret, quorum praecipuum erat plenissima Dei abnegatio, et Diaboli gloria, robur creationis vis, honor et familiaritas. Horum ille nihil adhuc initiandis revelare sustinebat: sed primum evangelicis verbis ipsorum mores conformare conabatur et nihil doctrinae singularis tradebat. His ita demulcere et quasi effascinare, et tractabiles ad arcana illa dogmata reddere studebat. Postea quando erga se bene animatos videbat et tanquam Magistro ac ad salutem Ductori attendentes observabat: tum demum totum haereseos venenum copiose exhauriendum ipsis propinabat, et ita perfecte eodem imbutos totam impietatem edocebat et declarabat. Tychicum autem se appellabat homo execrabilis. Quod quidem nomen non tantum Beati Pauli discipulorum cuidam quasi furto abstulerat; sed et plane ipsum illum hominem se revera esse fingebat,

Tychicum Paulinum se Sergius se jactat.